

22.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
SANGUINE NOBILI,
Vom
Adelichen Geblüt,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Ä S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONCILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULT. MEDICÆ SENIORE

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS

ANNO MDCCXLV. D. MAJI


Publicæ ac placide Eruditorum ventilationi subjicet

RESPONDENS

M. CAROL. FRANC. VINCENTIUS LANDANY,

H U N G A R U S.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



ILLVSTRI
GENEROSISSIMO EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DOMINO
HENRICO ADOLPHO
DE GERSDORFF

DYNASTÆ IN KITTLITZ, ZOBLITZ ET KOTT-
MARS DORFF ETC. ETC.

STATUUM LUSATIÆ SUPERIORIS
CIRCULI BUDISSENSIS
COMMISSARIO BELLICO
LONGE MERITISSIMO

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

FELICITATEM ET OBSEQUIUM

AUTOR

M. CAROLUS FRANCISCUS VINCENTIUS LANDANY
HUNGARUS.



VIR ILLISTRIS



Innumera EXCELLENTIÆ TUÆ beneficia, quibus me prorsus devinctum profiteor, perpetuum constans & sempiternum devote mentis monumentum postulant atque ex agitant. Facta namque TUÀ de TE lo quuntur. Misericordia erga miseros, charitas erga subditos, affabilitas & hospitalitas erga omnes, qui ad TE confi giunt, uberrime testantur, quam æquum sit, in TUAS laudes, VIR GENEROSISSIME, ultro excurrere, TUUM que in Clientes animum generosum dignis extollere encomiis. Facerem nunc illud eo lubentius, nisi summa, quæ in TE est, humanitas verba facienti silentium imponeret; ut ideo, quum TE, VIR ILLISTRIS, a fastu vanæ gloriæ prorsus alienum esse sentiam, tutius existimem, insignia munificentia TUÆ merita tacito sub pectore venerari, quam prolixis verborum lenociniis deprædicare. Nec indigeo multis, si quando animus est, publice profiteri, quam benigne olim inter TUOS fuerim suscep tus. Annus quippe

pe vertitur sextus, ex quo speciali Numinis Divini ductu
mihi contigit, ut per Hungariae fines in Lusatiam rever-
sus, inter Generosissimæ Gentis T U A domesticos esse cœ-
perim. Inopem fateor omniq[ue] auxilio undique de-
stitutum insigni T U A gratia dignatus es; quemque tot æ-
ruminis totque fortunæ tempestatibus hinc illinc agitatum
cognoveras, per semestre anni spatiū T U A munificen-
tia sustentandum curasti mirifice. Nec alia posthac de-
fuerunt, eaque immortalia Nominis Tui merita, quibus
maximopere levatus eo usque evectus sum, ut non solum
ad nutum & consilia EXCELLENTIÆ TUÆ in studio
literarum feliciter decurrere potuerim, verum etiam nunc
ad summos in arte Medica honores adspirare mihi liceat.
Mirabilia sunt luculentissima hæc æternæ providentia ve-
ftigia! quæ indefessis laudibus quoad vixero, deprædica-
re non desinam. Is enim, qui omnia moderatur, cœle-
ste T I B I peccus largitus est, in quo divina liberalitas tan-
to splendore refulget, ut nemo tam humilis sit, cui non
omnis curæ casusque levamen arrideat. Id quod me et-
iam expertum esse, in omnem ætatem immortali recolam
memoria.

Neminem ergo inter omnes deprehendi, cuius No-
mini specimen hoc magis inscriberem, quam T I B I, VIR
GENEROSISSIME, quem Autorem atque Ducem omni-
um fortunarum mearum habui unquam & adhuc habeo.
Quamvis enim non satis dignum videri posset tanto fasti-
gio, quo T E sola virtus, Generisque splendor collocavit;
haud displicere tamen illud EXCELLENTIÆ TUÆ vel
ideo auguror, quum omnes studiorum meorum profe-
ctus T U O Præsidio T U Iisque beneficiis gratos acceptos-
que referam.

Susci-

Suscipe igitur serena fronte chartaceum munus, &
si mereor, illorum numero me ulterius adscribi patere,
qui ad cineres usque flagrantissimo benemerendi studio se
suaque omnia **TIBI** commendare satagunt. Ego vero
DEUM Teroptimum Maximum supplex precor, velit
T E in patriæ decus, familiæ columen, omniumque clien-
tum solamen ad seros usque annos sospitem atque incolu-
men servare, consiliis **TUIS** haud vulgari prudentia suf-
fultis pondus addere nec unquam, ut irrita evadant, con-
cedere.

Quod reliquum est, quum majora polliceri non va-
leam, omnem animi religionem, pietatem, cultum, fi-
demque denique omnem sancte promitto, in id sedulo al-
laboratus, ut quamquam multos esse scio, qui certatim
T E venerantur, nemini tamen in hoc laudabili certamine
cessisse videar.

NOMINIS TUI ILLISTRIS

addictissimus client

A U T O R .



PROOEMIUM.



Obilitatis humanæ vel stemmatis,
aut nativitatis, sive animi, sive no-
minis, sive virtutum fuerit, exi-
mia inclaruit & innocuit aestima-
tio, ut ut nonnunquam illa, quæ
physica aut generis est, præ hac,
quæ moralis existit, præter meri-
tum magnis extollatur laudibus,
ideoque dotes corporis celebritati virtutum præfe-
rantur: quare nobilitatis fulgor & gloria modo in
virtutibus majorum, modo in imaginibus, modo in
nativitate corporali, modo in fallaci fortuna, modo in
sanguine queritur, licet nobilis æque ac ignobilis
inter sterlus & urinam formetur, & post omnem
felicitatis humanæ splendorem vanitas vanitatum,
pulvis & umbra evadat: hinc recte C H R Y S O-
S T O M U S boni. inquit: *nobilitas seu bonitas cognatorum non valet, nisi fuerimus nos ipse boni.* Sed dum

A 2

nobi-

nobilitas non in robore & proceritate corporis, nec in sanguinis temperie consistit, ideo dignius generosa qualitatis statuendum erit principium atque fundamentum: quare STOBEUS serm 84. de Democrito testatur, quod *pecudum nobilitatem in bono validoque corporis habitu consistet, hominum clarum nomen avorum, sed probitas magnos, ingeniumque faciat:* unius hominis celebritas, dignitas & justitia non alterum clarum & præstantem reddit: talia etenim bona & dona inter amicos non sunt absolute hæreditaria aut communia. Vitia vero & errores frequentius & facilius ab hominibus per nativitatem communicantur & propagantur, quam virtutes. Nobilitas igitur non in carne & sanguine fundata est, sed quod SENECA Lib. 3. de benef. c. 28. edixit, veritati congruit: *eadem omnibus sunt principio eademque origo: nemus altero nobilior, nisi cui rectius ingenium & artibus bonis aptius.* Generatim quidem nobilitas in physicam & moralem distingui potest; illa de præstantibus corporis qualitatibus, hæc de virtuosa & generosa mentis celebritate prædicatur; hinc utraque nobilitas interdum in uno subiecto conjuncta, in alio vicissim disjuncta invenitur. Quemadmodum autem ex uno sanguine omne hominum genus oritur, ita vix in sanguine aut corpore nobilitas s. *έγερεία* aut præcellens dignitas inquirenda est, quoniam homines stemmate ignobiles interdum meliorem, temperatiorem & puriorem sanguinem habent, quam nonnulli gente & nativitate nobiles possidere solent. Sicut porro multi de sanguine nobili & nativi-

tivitate nobili gloriantur, & homines civicos alto supercilium a tergo adspiciunt, ita medici ad imitationem hujus presumpta prærogativæ & affectatæ arrogantiæ improprio & mutuatio significatu de sanguine generoso, spirituoso & nobili altisona canere & prædicare sciunt præconia, unde virium naturalium præstantiam, roboris vigorem & cimelium, nec non vitæ ac sanitatis fundamentum, gazophylacium & firmitatem derivare volunt. Quod autem sensu morali de vera nobilitate *CHRYSOSTOMUS in Mattheum* edixit: quod *ille clarus, ille sublimis, ille nobilis sit, qui designatur servire vitiis, nec ab eis superari patitur*, idem sensu physico de sanguine nobilitando vallet, qui vitiosas & perniciose substantias constant se- & excretione excutit ac removet; inde vita & sanititas manet salva & integra. De nobilitate Romanorum constat, quod fundata fuerit jure imaginum, aut qui majorum suorum habuerunt imagines, quæ in atrio domus erectæ fuerant; & quemadmodum atrium ab atro dictum, ideo tales imagines fumosæ vocabantur. Ita Patricii nobiles fuerant, tanquam magistratus membra, ut ædiles, curules, prætores & consules. Germanorum nobilitas autem militiæ suam originem debet. Sicut autem secundum *SENECAM Epist. 44. non atrium plenum fumosis imaginibus nobilem facit, & nemo in nostram gloriam viait, nec nostrum est, quod ante nos fuit, animus potius nobilem facit*, ita nobilitas corporis physica non querenda est, in imagine sanitatis, nec externa similitudine, qua non nulli homines athletice sani apparent, de quibus ta-

men HIPPOCRATES Sect. 1. ophor. 3. ita sentit: *in exercitantibus boni habitus ad summum progressi, periculosi, si in extremo fuerint. Non enim possunt in eodem manere, neque quiescere: Cum vero non quiescant, neque ultra possunt in melius proficere, reliquum igitur in deteriorius.* Sanguine etenim turgentes & rubentes genæ, non nobilitatem & perfectionem sanitatis comprobant, quia sæpe hic splendor externus eaducus est & brevi deflorescit: quare sola externa signa non generosum & nobile reddit corpus, dum secundum OVIDIUM L. de Ponto non census, nec clarum nomen avorum: sed probitas magnos ingeniumque facit, & secundum JUVENALEM Satyr. 8. tota licet veteres exornent undique ceræ atria, nobilitas sola est atque unica virtus. Et quemadmodum olim novi apud Romanos nobiles dicebantur, qui suas tantum imagines habebant, quorum majores nullos magistratus curules, nec ædilitatem, præturam, censuram, vel consulatum obierunt, ita nova illa sanguinis nobilis & generosa prædicari potest qualitas, qua instabilem, volatilem & ambiguum præsentat splendorem, licet fundamentum & origo ejus nullam nobilitatem testetur, dum videlicet talis sanguis nunc floridus & vividus appareat, qui ante intemperatus extitit, & mox iterum morbosas assumit affectiones, sicut in hypochondriacis, hepate & splene laborantibus, mensium & hæmorrhoidum vitiis affectis, concoctionis turbis oppressis, biliosis affectibus ægrotantibus, sanguinis scorbutica intemperie affictis, observare licet: quicunque itaque sanguis irregulari motu

motu afficitur, ac instabilem temperiem continet, is
 surdus & mutus appellari potest; sicut mutus & sur-
 dus olim dictus fuit *sanguis ignobilis*, *plebejus*, nullo
encomio clarus & celebris, apud **S T A T I U M T h e b . L.**
XI. v. 284 H O R A T I U M L. 1. Sat. 3. v. 99. ab hoc distin-
 guitur sonorus, i. e. veris, certis, evidentibus effecti-
 bus atque usibus clarus atque probatus. *vid. B A R-*
T H I U S animadv. L. 4. Quam pretiosus cæteroquin
 & ad vitam ac sanitatem naturalem necessarius est
sanguis, ut ipse Sapientissimus & Benignissimus
 Creator sanguinem, vitam & animam arcto vinculo
 naturali ordine combinaverit, sicut **V I R G I L I U S**
Lib. IX. Æneid. animam purpuream nominat, L A C-
T A N T I U S autem L. de opific. Deic. 17. magnam dis-
 crepantium inter animæ & sanguinis substantiam in-
 dicat, nihilominus autem saepe in homine, genere &
 stemmate nobili, ignobilis scaturit *sanguis*, & in alio,
 nativitate ignobili ortus, nobilis ebullit *cruor*, ut hoc
 quadreeffatum apud **V A L E R I U M M A X I M U M**
Lib. III. c. 4. *Sæpe evenit, ut & humili loco nati ad summum*
dignitatem confurgant & generosissimarum imaginum fatus,
in aliquod devoluti dedecus acceptam a majoribus lucem in
zenebros convertant: quare HIERONYMUS ad Celoni-
zium inquit: Summa apud DEUM nobilitas est, clarum
esse virtutibus. Hanc duplicum nobilitatem animi &
 corporis conjunxit **S O C R A T E S** *fuscolanti quid nobili-*
zos esset, respondit: animæ & corporis bona temperius, teste
S T R O B A E Serm. 84. Quanta autem convenientia
 & differentia inter animi & sanguinis nobilitatem sit,
 aut quomodo moralis & physica discrepet aut con-
 veni-

veniat, id argumentum peculiari indiget scrutinio; idque saltim hac occasione pro themate & Specimine Inaugurali, quod edendum mihi est, selegi, ut *generosam* sanguinis qualitatem indicem, aut quid de SANGUINE NOBILI medica cognitione sentendum sit, explicem. Cui conatui ut Summus universi Rector & Director exoptatu successu annuat, devotis suspiriis optamus & rogamus.

§. I.



Uando de Sanguine *nobili* & *nobilium* differere constituimus, ante significabimus, *quam* *leum nobilitatem* in *sanguine* intelligamus. De *dignitate morali* ac *genris* & *stemmatis* vulgo assertur, quod *nobilitas* ejus cum *sanguine* propagetur, unde communis provocatio innotuit, man sey von adelichen Geblüft, von adelicher Geburt, Stamm und Herkunft, quasi hæc *moralis* dignitas *sanguini* adhæreat & *implantetur*, & cum hoc per naturalem generationem atque partum propagetur, quasi hæc nobilitatis dignitas, sicut pecatum originale & animo & corpori communicetur: illud igitur pro bono & dono, hoc pro malo & damno communicativo & *hæreditario* habetur: quæ præsumtio de nobilitate *moralitatis*, *sanguini* implantata, cum *DIOGENIS* opinione, qui animam *sanguinem* esse tradidit, vid. *SALMASIUS Comm. in Simplic. p. 178.* aut ex Stoicorum sententia, qui *animam sanguine nutriti* afferuerunt, convenit: Sed dum *nobilitas* est affectio *moralis* & *non physica*, ideo improprie & sensu *allegorico* ad *sanguinem* refer-

refertur: quare *mores nobilium* non a *sanguine effienter*
oriantur; sed ab *animo virtuoso*, *generoso*, aut *nobili*, *pro-*
veniunt. *Nobilitas homini non est naturalis & essentia-*
lis, *sed adventitia*. *Sanguis vero communi medicorum*
suffragio causis naturalibus in homine adscribitur; *qua-*
re Sanguis nobilis significatu metaphorico a medicis is ap-
pellari potest, qui multis laudabilibus, temperatis oleo-
sis, balsamicis, blande sensus ferientibus, salino sulphureis,
fibras motrices reficientibus & roborantibus gaudet prin-
cipiis: *Sanguis nobilium is audit*, *qualem gente nobiles*
pro differentia temperamenti, diæta, vita generis, regimi-
nis, concoctionis, virium, excretionum possident. *Quem-*
admodum prædicatio Sanguinis nobilis impropria est, ita
hanc allegoriam ad nostrum scopum applicabimus: vo-
camus itaque Sanguinem nobilem, humorum corporis huma-
ni naturaliter rubicundum, ab ingestis, nobilibus familiariori-
bus, parvum, ad diversas vitæ, sanitatis & morum mua-
tiones contribuens: vulgo igitur nobilis sanguis metonymi-
ce accipitur, velut prædicatum, aut adjunctum, pro Subje-
cto pro homine nobilitatis dignitate & simul nobilibus, ge-
nerosis, præclaris & selectis donis, moribus, virtutibus
& meritis coruscante. *Hæc consideratio nititur illa con-*
nexa contemplatione, qua Sanguinis & mentis aut morum,
nec non Sanguinis & sanitatis harmonia observatur: in-
de innotuere provocaciones & accusations eines lusti-
gen, schwermüthigen, heroischen, geilen &c. Blutes, vel ut ve-
teres enunciarunt, qualis cibus talis chylus, sanguis & sa-
nitas. *Magis vero usu receptum est nobilem sanguinem*
de virtutibus heroiis ac præclaris meritis prædicare, sicut
communiter id quod pretiosum ac præcellens quoad qua-

B

litates

litates est, *nobile* vocatur, velut nobile ingenium, nobilis
 facies, effigies, nobile factum, nobilis resolutio, nobiles
 mores, nobilis generosusque obitus: quicquid igitur clau-
 rum, *illustre, excellens*, insigne est, id *noscibile, notum &*
nobile prædicatur: quare non solum homines *nobiligen-*
re nati inclarescunt, sed & qui *animo nobiliores*, quam
 gente existunt, sicut juxta VELLÉJUM *id nobilissimum est,*
quod optimum est. Nec nobilitas solum in bono signifi-
 catu accipitur, sed & sensu *lato* eminenti & *disinecto*, aut
 plane *ironico* in *malam* partem trahitur, velut nobile fa-
 cinus, *vitiis nobilem* se præbere, ein edles Früchtgen: quo
 pertinent locutiones nobilis virgo, nobile scortum, nobi-
 le sermonum flumen, nobilis rhetor, par nobile fratum:
 sic VIRGILIUS Lib. I. *Aeneidos Acesten, a Trajano sanguine*
clarum prædicat, SENECA in *Oclavia Actu i. sanguine clari-*
ro genitum allegat: ita apud authores prædicatio *clari* &
nobilis sepe copulatur, quin ipsa *nobilitas clara* salutatur:
 præterea VALERIUS MAXIMUS *Animum* nobilem vocat,
 LUCANUS *Corpus* nobile appellat: PLINIUS Lib. 20. c. 18.
Medicamenta, L. 19. c. 5 L. 23. c. 8. *Herbas*, CORN. CELSUS
 L. 5. c. 23. *Antidota*, VIRGILIUS *Sanguinem nobilitatis* di-
 gnitate concelebrant. Medicis per familiare quam est,
remedia ad PLINII & ARISTOTELIS imitationem nobilia
 dicere. Quod autem ad *Sanguinis nobilitatem* attinet,
 tunc de illa TIRAQUELLUS *de nobilitate* c. 4. n. 1. & cap. 23.
 n. 22. ex Hostiensi testatur: *nihil aliud est humana nobilitas*
quam rora: & qui *superbit de nobiliori sanguine*, dici pot-
 est, *quod de nobiliori stercore intumescit:* porro: bæc ille
 qui & ipse dicit *sanguinis nobilitatem non aliam esse*, quam
stercoris & fatoris: igitur *nobilitas morum plus prodest*
quam

quam genitorum, nobilitas etenim sola est, quæ moribus ornat: teste ALBERICO, aut juxta SALII effatum: non est nobilis, qui de nobili vita genere est, nisi & ipse bonis polleat moribus. Dum vero medice de Sanguine nobili differere placet, hinc paucis & in limine testamur, quod nec scientia, nec ars medica quicquam nobilitati deroget, verum rectius illam ornet, illustret & confirmet, id quod differre & solide probavit TIR AQUELLUS l.c. cap. 31. de reliquo PLUTARCHUS Lib. contra nobilitatem inquit: *Sanguis non nobilitat, sed virtus:* idem asserit RODERICUS ZAMORENSIS Lib. 1. Speculi humanæ vitæ, inquiens, nec divitiae, nec externus Splendor, nec opipara mensa, nec Sanguis fervens, sed quæ moribus animum ornat, nobilitatem producunt.

§. II.

Generosa stirpe profecti sicut *splendore nominis, familiæ & honoris* eminent, ita quoad *plurimam* partem bonis animi & fortunæ præstant & gaudent, unde magnam auri argenteque vim atque copiam possident, propterea que laute, si non multi *luxuriose* vivunt & si non *manifestos* excessus committunt, tamen regulas *dætericas* non sollicite obseruant, nec non quoad *animi* affectiones, ut & *diatæ & regiminis* congruum usum variis offensionibus se submittunt, inde *Sanguis* nobilis non raro *ignobilis* redditur: etenim ob celsum Stemmatis fastigium, distinctum dominii gradum vel possident, vel affectant, ob quam *prærogativam* facile & saepe *ira* excandescunt & *nimio* hujus affectus gradu flagrant, ideoque inturgescentem, impetuosum & inquietum *sanguinem* recuperant, das Blut wallet in ihren Adern, nec facile ejus affectus frena coer-

cere & constringere possunt: non paucos *fastus* inflat, ut altis superciliis a tergo multa adspiciant, ideoque dum altius spirant, sanguinem etiam spirant, atque in *proprium* æque ac *alienum* sanguinem grassantur & *tumultuantur*. Quod autem *fortunata* vitæ conditio multos ad voluptates seducat, communis est observatio, quibus *illecebris* saepe nobiles subjiciuntur: quantum autem *voluptuosa* cogitationes & libidinosaæ actiones ad sanguinis *perversam* maximeque præjudiciale commotionem valeant, quotidiana restatur observatio. Quid quod dum nobiles, pro reliqua *indolis* suæ *aktivitate* aut interdum *inconstantia* & varietate *multis intenti* sunt conatibus & negotiis, ita animus *distractus* ad varios seducitur & allicitur affectus, qui singuli diversimode *sanguinem afficiunt*, vel impellen-do aut a centro in *peripheriam* transferendo, vel *reducen-do*, vel *orgastica* inturgescentia commovendo, vel *rarefaciendo*, vel *incrassando*, vel ad varias *flogationes*, *opple-tiones* & *stases* disponendo, vel multa *bile* commiscendo, vel alia *intemperie* inquinando, unde aut *rubor* aut *pallor*, vel *rigor*, vel *infatio*, vel multiplex *coloris* & *coloris* naturalis mutatio oriuntur, ut propterea *ordo* & *temperies motuum* & *functionum vitalium* & *naturalium* valde alteretur, sanitasque laedatur. Nonnulli inter nobiles homines valde *superciliosi* sunt, ut civiles vel honestæ propriae, vel ex ima vulgi fece personas contumeliose, quippe ex ignobili sanguine ortas, abjecte aestiment, tractent & pavonis pompa fastuose admirationem & adorationem indiscretam postulent & expectent; quibus si talis cultus & promiscuum obsequium denegatur, nec præstatur, *ira-cundo*, *imperioso*, *inquieto* & *impatienti* affectu, ad modum aulici

auclici illius ap. Assuerum Amanis, in magnam animi & sanguinis inturgescentiam effervescent. Quo magis autem moralibus & sensualibus suis operationibus nobiles eminenter sensibles sunt, eo certius omnes mores, inclinations, pathetici affectus sanguinis commotiones, gradu atque respectu differentes, in consensum trahunt, ita ut in rebus secundis & adversis indies hanc ob causam varias alterationes experiantur, ideoque semper animi & sanguinis inquietudinem sentiant. Ita enim nobilitatis statutus crebriores causas, occasiones & objectorum species offert, quae ad molestas & successive morbificas sanguinis commotiones, a naturali ordine discedentes, disponunt. Pretiosa igitur virtus est, si personae nobili stemmate naturæ ac soli sanguine præditæ, animum tranquillum, pacatum, temperatum & continentem possident. Magnum enim inter animum & sanguinem intercedit commercium: hinc HIPPOCR. Lib. de Corde s. 8. t. 11. 12. afferit, quod illuſtris substantia ex sanguinis discrezione nata, sit animæ nutritiumentum, quod assertum suo calculo probare vult GALENUS Lib. 3. de decret. Plat. & Hipp. præterea idem HIPPOCR. Lib. de flatb. s. 20. t. 3. & Lib. 1. de morb. s. 28. t. 2. testatur, quod sanguis multum ad prudentiam conferat: Sic Rabbi Abraham in Esaiam sanguinem vocat fortitudinem & vitam hominis, & Suida referente DIETERICO in Farr. Hipp. n. 15. p. 112. Sanguinem nominat animæ rotius & bujus præcipuorum in operando organorum, nativi carioris & spiritus domicilium & pabulum. Quo magis igitur animus operosus est, eo solertior, auctior & agilior est morus sanguinis, & vice versa; quo floridior, mobilior, nobilior & subtilior est sanguinis qualitas, eo alacrior, ope-

rosior & *præstantior animus* existit; quæ *quotidiana observatio* manifesta relatione, conciliatione & demonstratione ad sanguinem nobilem, generosum & spirituosum applicari potest.

§. III.

Quod & quid *Sanguis* ad diversos *mores* conferat, tam in *Philosophia moralis*, quam *Medicina*, indagine digna est *observatio*, quæ *præsenti disquisitioni* admodum congrua existit. Et cum plurima fere nobilium subjecta sanguine, ita dicto *spirituoso*, fluido, valde sulphureo gaudent, ita *generativum mores nobilium* celeres, agiles, prompti, *strenui*, *præsentes* & *præstantes* existunt. Eximius sane est *nexus animam* inter & *sanguinem*; & dum *cerebrum officina* operationum *mentis*, adeoque *morum* existit, ita *sanguis*, qui sua qualitate *materiali*, i. e. mixtione & consistentia, nec non affectione *virtuali*, i. e. *motu*, plurimorum *organorum functiones* afficit & concernit, etiam *cerebro* diversis *alterationibus* ansam præbet: ita v. g. *sanguis spissus*, *viscosus*, *ponderosus*, *difficulter* per cerebri *vasa circulum* servans, ad *tristes*, *anxias*, *timidos*, *sollicitas*, *oppressos*, *obscuras cogitationes* disponit; *viciissim sanguis* per *cerebri vaso* *sanguifera temperate, ordinate, libere, facile*, leniter progrediens, ad operationes *animi tranquillas*, ordinatas, morigeras, *moderatas*, *flexiles*, placidas, *serenos* invitat: uti contra *sanguinis motus* in *cerebri canaliculis impetuosus*, *inquietus*, *rapidus*, *præcipitatus*, *vehemens* & *flagrans* ad motus *animi audaces* impatientes, *excedentes*, *inconstantes*, *fugitivos*, imo plane *crudeles* & *furiosos* allicit & seducit. Ita porro *Sanguis tardius*, *dificilius* & *inordinatius* per *cor*, *hepar*, *lienem transiens*, ad

ad anxias, meticulosas, tristes, suspicaces, diffidentes & afflictas cogitationes contribuit; id quod etiam continet, si in nobilioribus talibus organis concretiones *polyposae* adsunt, quæ transitum sanguinis valde impediunt: huc pariter spectat, si in tunc corpore vasa sanguifera exilia, gracilia, angusta & valde tenera sunt, per quæ sanguis difficulter progrederitur, unde iterum cogitationes oppressæ, obscuræ, confusæ, timidæ originem ducunt & occasionem capiunt: in quibus porro sanguis per cerebrum & cor celerius, fortius & operosius procedit, in illis deprehenditur animus heroicus, intrepidus, audax, præceps, vehemens, impatiens, quæ subjecta experuntur fortiorum & largioreum motum & progressum sanguinis ad organa genitalia, illa deprehenduntur magis voluptuosa, lasciva & naturali instinctu generatrice magis prædicta: inde igitur magnum commercium inter mores animi & sanguinem elucescit. Quemadmodum autem fortes generant fortes, ita nobili sanguine nati, saepe heroico i. e. calido aut cholericó, aut sanguineo temperamento prædicti sunt, quod per generationem propagatur in prosapiam, cuius sanguis propterea strenuo & fervente motu circulatur, unde etiam mores ejus connato temperamento conformes & generosi existunt: nec negandum quidem est, quod in prolifica stirpe interdum ob varias causas parentum temperamentum & animum quidam infantes non recuperent, ideoque ignobiles, plebejos, incultos & rudes mores exerceant, quorum sanguis & animus iterum consentiunt. In qua contemplatione igitur multum nativitati tribuendum est; ut quamvis a patre quidem sanguis non propagetur, attamen sæpissime

me temperamentum, *mechanicum & organicum corporis*,
 virtæ naturalis & morum, sive gradus, ordinis & proportionis
 motuum transfertur: Matres autem fœtui suo, quem
 in utero alunt & asseruant proprium & genuinum sui
 corporis sanguinem communicant, & cum hoc varias *corporis*
 qualitates propagant & ad *animi* affectiones quadantenus
 disponunt, idque vi illius commercii, quod animam inter
 atque sanguinem intercedit, ideoque RODER. a CASTRO
de Meteor. Microcos. Lib. 2. c. XV. p 84. inquit: *quod Sanguis*
fit instrumentum animæ & sequatur animæ motum, licet san-
 guis non efficienter, sec Platonicum errorem, animam affi-
 ciat, sed alia causa mediata constet, qua spirituale & mate-
 riale subiectum connectuntur. Inde generice innotescit,
 quod dum nobiles *utriusque sexus peculiares*, stemmati suo
 respondentes, mores, inclinationes & passiones habent,
Sanguis etiam eorum hoc respectu variis modis genti nobili
 conveniat, atque ita inter nobilitatem animi & nobil-
 item sanguinem memorabilis nexus observari & indicari
 queat.

§. IV.

Sanguis porro pro discrepantia *ætatis, temperamen-*
ti, sexus, diæta, regimini, vitæ generis, climatis, anni
temporum, loci, aeris mixtione & consistentia differt:
 hac diversa qualitate corpus vivum sensibile diversimode
 afficit & ad varios motuum gradus allicit: sicut juxta tri-
 vialia medicorum dogmata sanguinis acrimonia, famige-
 ratum genus nervosum stimulans, ad varios dolores &
 motus disponere dicitur: sic etiam Sanguis in infantili
ætate lubricus, laxus, mollis, pinguis, mucinosus, magis
ad membrorum imbecillitatem & sensuum torporem at-
que

que somnolentiam disponit. Juniorum hominum sanguis laudabilis & sanirari conveniens fluidus & subtilioribus salino-sulphureis, pinguibus principiis, quæ nonnulli medici balsamica, spirituosa, aut generosa nominant, permixtus, ad fortis, strenuas, expeditas atque cataras actiones disponit. Senum denique Sanguis intemperatus, acris, viscosus ad tardas, difficiles, impeditas, inordinatas operationes ansam præbet, id quod brevibus saltim significare & simul probare placuit, quod Sanguis diversa qualitate mixtionis & temperiei & consistentiæ fluiditatis ad differentes animi aut mentis operationes causam suppeditet: Hæc observatio faeili negotio cum reliquis respectibus temperamenti videlicet, sexus &c. conciliari potest. Si igitur quidam nobilium a teneris molliter, indulgenter, laxe & libere educantur, ita non modo mobilem, volatilem, inquietum, ebullientem & fervidum sanguinem acquirunt, sed etiam sec. proverbium levem sanguinem, levem animum, leicht Blut, leichten Muth, impetrant: qualis igitur sanguis intrinsecus in corpore adest, nim. qui perquam mobilis est, orgasticis commotionibus & exæstuationibus obnoxius, huic qualitati etiam animus suis operationibus & moribus adsuescit: inde accusationes man habe einen flüchtigen Sinn, man fahre geschwind auf, habe eine hiehige Stiere, komme bald in die rage, werde leicht aufgebracht &c. qui contra ob minus secundam fortunam & indigentiam nobiles quidem nativitate, ignobili vero, plebeja & vili educatione fruuntur, illi ab aliis quidem saepè a tergo altis superciliis adspiciuntur, ut hoc valeat **VALERII HERBERGRI** effatum in der **Trauer-Binde Part. 4.**

C

conc.

conc. 29. p. 322. Wann die jehige Welt von Edelleuten höret, so dencket sie bald, der muß viel Geld und Lager-Groschen haben, wo nicht, so ist er ein Kraut-Juncker, ein Krippen-Reuter: deinde vero ignobilem, vilem, plebeium, famelicum & intemperatum sanguinem, indeque & ex parte similes viles, plebejas & agrestes facultates mentis & mores obtinent. Quemadmodum porro discreta mixtio sanguinis *visu*, *gustu* & *olfactu* ab *extra* percipitur, ita eadem etiam *intrinsecus* subtili tactus sensu deprehenditur, quia interna corporis structura, æque sensibilis est: sec. hanc distinctam perceptionem mores etiam instruuntur, modificantur & æquiparantur: ita v. g. Sanguis majori seri subtilioris & acrioris copia referitus, aut uberiori bilis quantitate remixtus fibras nerveas & carnea motrices teneriter sensibiles intensius & constantius stimulat, inde eadem fibræ magis stringuntur & membra propterea fortiori motus gradu instruuntur, cum qua præstantia & fortitudine in instrumentis, crescit & consentit animus; quare tales homines, iracundi, impatiētes, operosi, vehementes, præcipites &c. evadunt: ubi frustra objectio formatur, quasi talis observatio, assertio & interpretatio propterea veritati consona non sit, quia prædictus & accusatus partium stimulus non eminenter, nec cum crassiore reflexione percipitur; sed quid de motu humorum, cordis, intestinorum, de antipathia cum certis subtilissimis vaporibus, exhalationibus & odoribus dicamus, qui non crasso sensu percipiuntur, ergo non propterea illi motus & mutationes succedunt? Huc etiam pertinent observations parallelæ, quod multa copia seminis, semen intensius commotum &

& ut aiunt orgastico cœstro effervescentis lasciviae & libidinis affectum excitet, accendat & augeat; quod cum latente bilioſo, libidinoſo, tristi, ærumnoſo, ſedato, temperato, pacato &c. ſimiles mores iracundiæ, lasciviae, tristitiae, tranquillitatis &c. communicentur: *conf. DN. D. PRÆSIDIS disp. de Jure Laetantium medico.*

§. V.

Quorum hominum igitur animus generofus, nobilis, virtuosus, heroicus, præstans, fortis ac strenuus est, horum sanguis etiam nobilis, mobilis, flammatus, ſubtilis & ita dictus ſpirituofus & generofus eſtit: ideo ex ſanguinis qualitatibus indeoles animi cognosci & dijudicari potest: *conf. CAMERARIUS Syllog. Memorab. Cent. X. part. 59.* pertinet huic *Jeffenii a JESSEN assertum diff. de sanguine et vera ſecta: Sanguis inquit, præter corporis conſtitutionem, mentis quoque maniſtetur indeolem.* *Sensit istud de nat. hom. Hipp. idque libro ſingulari, cui titulus, quod animi mores corp. temper. ſequantur, confirmavit GALENUS.* ARISTOTELES quoque in *Phyſiognomonicis* pariter a corpore animam, ac hoc ab illa mutari affirmavit: cui & AVICENNA dictum hoc, ſicut animam corpus ſequitur in suis actionibus, ita anima corpus in ipsis paſſionibus conſentit: ita etiam afferit HELIODORUS *Lib. V. Äthiop.* quod *Sanguinis intuitus Sapientia & audaciae chalybs sit, vid. plur. DN. D. PRÆSIDIS Semiologiae Sect. IV. p. 95.* FIENI *Se- mior. Part. alt. Sect. 4. c. 1. ſ. 2. sq. p. 262. sq.* Animus enim re, nec ſolum nomine, nobilis, ſub reliquo naturoli ſano ſtatu ſanguinis motum *alacriorem*, fortiorem citatem, ſolertiorem & præstantiorem in conſenſum ducit; quamvis haud negandum sit, quod nonnulli homines no-

mine nobiles, ignobilem tamen indolem possideant: huc spectat effatum praedicti VAL. HERBERGER *Mignal. P. XI.* n. 45. p. 921. a. Wer edles Geblütes ist, der sey auch edles Gemüthes; es reimet sich übel adelich Geblüt und bäuerisch, idolisch Gemüth: & in der Trauer-Binde *Part. 2 conc. 22. p. 273. sq.* Wer Blut edel ist, der thue seinen ehrlichen Ritterstand keine Unehre an: edles Geblüt und bäuerisch Gemüth reimt sich nicht zusammen. Sicut etiam sanguis causa coloris naturalis & individualis est, ita e colore faciei judicium de sanguine & ex sanguine de indole animi, aut qualitate morum ferre licet: sic color puniceus, in Davide, Alexandro M. Attila, Tamerlano &c. animum fortem, strenuum, bellicosum, heroicum, audacem, intrepidum, excelsum & generosum prodit; saturate & effuse rubicundus color indolem hilarem, jucundam, luxuriosam; lividus, aut violaceo rubens, affectum tenacem, suspicacem, avarum, timidum, diffidentem, consortia fugientem, solitudinem amantem &c. testatur. Sicut porro non omnium nobilium sanguis generosus est, ita nec *animus singulorum promiscue nobilis* existit, id quod ex externo intuitu colligere licet, inde dictio orta, aus diesen oder jenen Gesicht sehe was edles, vornehmes, hohes &c. oder niederträchtiges, verächtliches, gemeines, geringes, grobes, bauerisches &c. aus: quemadmodum igitur atrium imaginum non per se nobilitat, ira inter animum & sanguinem harmonia requiritur: quare ex sanguine nobilium judicare licet, an animus etiam nobilis, an ignobilis existat: & idem color sanguinis in certis subjectis inconstans & variabilis perinde affectum dominantium proditor est: quare motus sanguinis æqualis, temperatus, constans & ordinatus, similes

multe qualitates coloris naturalis inferens, tales etiam
mentis affectiones significat; frequens vicissim coloris
mutatio, aut sanitatis instabilem conditionem, aut affectu-
um animi dominium testatur. Inde liquet, quod non
solum sanguinis copia, color, consistentia, temperies
& motus, sed etiam illius consensio cum moribus in no-
bilitate illius agnoscenda & dijudicanda, respici debeant;
in harum qualitatum vero justa & prudenti conciliatione
& applicatione dignior respectus habendus est motuum
horumque relationis & proportionis ad materialem san-
guinis substantiam & constitutionem, quoniam sua vir-
tute naturali, materiali & propria sanguis haud mores a-
lacres, hilares, liberales, placidos, humanos, sedatos,
securos, voluptuosos, aut festinantes, præcipites, im-
patientes, audaces, inquietos, vehementes, iracundos,
nec sollicitos, dissidentes, suspicaces, taciturnos, anxios,
meticulosos, aut ignavos, tardos, incuriosos, somno-
lentos, stupidos, duros, fastidiosos, insensiles, abje-
ctos, otiosos, rædiosos &c. efficere, sed principaliter
animam, tanquam veram, solam, proximam causam ha-
rum affectionum efficientem, eo allicere, & sicut sensum
movens aliud objectum, disponere solet: de qua confide-
ratione solide & disserte egit B. STAHLIUS *diff. de Fundo-*
mamento moralitoris in Sanguine, conf. Epist. mea de Commercio
animæ cum Sanguine.

§. VI.

Præterea ex historia naturali notandum est, quod
sec. diversam relationem mediante sensatione aut aestima-
ne anima rationalis cum discretis materiis discrepantes
actiones exequatur: ita homines plebeji diæta crassa &

cruda.

exuda utentes, aere non selecto, sed saepe impuro ac
 denso, cæteroquin vitæ genere duro fruentes, utpluri-
 mum moribus incultis, barbaris, agrestibus, impolitis &
 tenacibus prædicti sunt: inde etiam constat, quod pro
 varierate loci, climatis, regionis, territorii, diætæ, vi-
 tæ generis, mores incolarum ex parte discrepant, licet
 educatio, exempla, imitatio & consuetudo huc pariter
 aliquid contribuant; sicut homines cum animalibus bru-
 tis frequentius conversantes, eorum qualitates imitan-
 tur, imo aliquando plane brutescunt. Ita enim quæ-
 dam ingesta spirituosa, generosa, sanguinem commo-
 ventia, fibras motrices stimulantia, ad mores vehemen-
 tes, impatientes, immoderatos, præcipites, iracun-
 dos, impetuosos & imperiosos contribuunt: dum con-
 tra pabulum asinum qualitates asininas causatur. Sie
 porro copiosa bilis animi motus iracundos; largus & sub-
 tilis humor seminalis libidinem; spissus, viscidus sanguis
 metum, mcerorem, anxietatem, sollicitudinem &c.
 abundantia feri volatilis instabilem, fugacem, præcipi-
 tem &c. animi affectionem provocant, aut pro concur-
 su causarum deliria, maniam, melancholiæ, fatuita-
 tem, insaniam lascivam &c. excitant: huc quadrat ob-
 servatio quod morsus canum & luporum iracundorum,
 famelicorum, rabiosorum in læsi subjectis mores talium
 animalium provocent: non minus specificum virus di-
 versorum animalium, velut serpentum, viperarum, ara-
 neorum, bufonum, tarantularum, aut certorum vegeta-
 bilium v. g. Napelli, cicutæ, solani furiosi, mandragoræ
 &c. specificas mentis erroneas qualitates causantur: huc
 quadrat SENNERTI judicium Prox. L. I. Part. 2. c. 31. qu. 15.
 nullius

nullius animalis sanguis sine incommodo bibitur, docetque
 experientia, sanguinem animalium, potissimum calentem
 & spirituosum baustum magnum in corpore mutationem
 efficiere, posseque inde Lycanthropias & Galanthropias ex-
 citari, ita ut homines eorum animalium mores referre in-
 cipient, conf. JAC. THOMASII disp. de transformatione
 hominis in bruta. Non minus antiquiores medici certis
 materialibus mediis virtutem laetificantem, libidinem aut
 venerem lenientem, animum reficientem, sensoria ro-
 borantem &c. tribuerunt, ut nihil de MARBODÆI, BAC-
 CII, BOOT, CARDANI, GESNERI, THEOPHRASTI,
 opinionibus dicamus, qui miras & incredibiles vires de
 certis lapidibus & gemmis tradiderunt, quibus diversas a-
 nimi facultates afficere & efficere dicuntur: sicut quædam
 remedia, sanguinem valde commoventia, ipsum animum
 inquietant; bilem augmentia & impellentia, affectum ira-
 cundiæ & impatientiæ movent; semen augmentantia &
 commoventia, ad affectum libidinis & insomnia lasciva ir-
 ritant. Similem compararam efficaciam & clandestinam
 communionem cum animo habent alimenta & potulen-
 ta: sic alimenta sicca, crassa, dura, viscida, frigida ad
 Melancholiæ, spirituosa, generosa, vinosa, aromati-
 ca, amara, acria, pinguia, oleosa &c. ad cholera,
 valde nutrientia, gelatinosa, temperata pinguia, me-
 dullosa, lactescens ad Sanguineorum mores disponunt:
 Ideo non solum moralis institutio & educatio ad certas
 mentis qualitates disponit, sed etiam physicæ cause multi-
 plici modo ac exemplo eo contribuunt; hinc gentes,
 sylvis ac montibus circumvallatae, mores sylvestres, agre-
 stes & incultos assumunt, aut homines in locis paludofis,

humus.

humidis, vaporosis, in aere denso, crasso, vappido, nubilo, nebuloso, fumoso, humido, frigido viram degentes, duros tales & semibarbaros mores nanciscuntur, id quod populi, in locis borealibus & maritimis viventes, suo genio restantur: *huc allegare placet assertum BARTHOLINI lib. de sangu. vetero p. 15. observatum nuper inter experimenta transfusoria delirantem quandam infuso sanguine ovillo placatum, agni mansuetudine quasi inducta: nam ad sanguinis conditionem mores efformantur.* Puella quadam uratislaviensis epileptica, ebibito sanguine felino, felis naturam induit ex intervallo, & quod id animal in edibus solet, imitabatur, voce, saltu, gestu, vestigiis, mures in silentio venata in angustissimis etiam foraminibus: & p. 84. quod aurem esu sanguinis reddantur homines immaniores, testatur Dio.

§. VII.

Reciproca igitur datur & observatur ratio & relatio animi in sanguinem & hujus in illum, sicut haec tenus indicatum fuit: quare nobilis, generosus, virtuosus, heroicus, acris, strenuus nobilium animus, motum sanguinis æque strenuum, alacrem, vegetum, robustum, præstantem, constantem & assiduum connexum habet; vi ejusdem connexionis etiam specialis diæta cum animo consentire solet; qualis enim diæta, talis sanguis, qualis sanguis talis mentis qualitas observatur: hinc diæta vilis, famelica, valde tenuis, macilenta, indigens, angusta sanguinem intemperatum, minus spirituofsum magisque crudum & terrestrem & ita etiam animum abjectum, torpidum, durum, stupidum, incultum & crassum causatur. Quoniam vero nobilium diæta ut plurimum laura, generosa,

rosa, pinguis, apiciana, delicata, interdum plane gulo-
 fa & luxuriosa est, ideo sanguis inde proveniens pin-
 guis, spirituosus, in orgasmum pronus, mobilis, ebui-
 litioni & excandescientia admodum obnoxius, animus
 insuper excitatus, imperiosus, impatiens, præceps, fu-
 gitivus & ad varios affectus proclivis existit: hinc ej-
 cūtamenta a nobili quidem stemmate & semine nata, a for-
 tuna autem derelicta & tenui forte pressa, cum mancipiis
 vero, equisnibus, stabulariis & vulgi fæce frequentius
 conversantia & vicitantia, partim ob exempla & imi-
 tationem, partim ob vilem diætam sanguinem & mo-
 res plebejos atque rudes & agrestes nanciscuntur. Sic-
 ut porro nobilibus ob frequentem venationem usus syl-
 vestrium animalium aut ferarum perquam familiaris eva-
 dit, ita sanguis principiis sylvaticis & efférīs largius per-
 mixtus in corpore generatim, in cerebro autem & sy-
 stemate nervoso specialem effectum habet, insuper ve-
 ro ad feroce, audace, barbaro, vehementes & impa-
 tientes mores disponit: enim vero fera ē pabulo sylvestri,
 herbarum, radicum, corticum, fruticum, germinum
 &c. vario sapore & odore præditorum, necessarium &
 quotidianum alimentum acquirens, similia sylvatica
 principia chylo & sanguini communicat. Ea propter
 antiquiores medici certis ægris medico scopo & respe-
 ctu carnes ferinas modico usu ordinarunt; quæ contra
 quotidiano usu non solum vilescent, sed diversis muta-
 tionibus ansam præbent: quemadmodum morali intuitu
 HIERONYMUS Epist. 4. ad Salvianum inquit: *procul sunt
 a conviviis tuis phasides aves, crassi turres, attagen Jo-
 nicus & omnes aves, quibus amplissima patrimonia avo-
 lant.*

*lont. Sic HIPPOCRATES Lib. 2. de diæta, animalia que in sylvis & obris pascuntur, sicciora vocat. Carnes ferarum quadrupedum communiter densiores, duriores & viscidiores sunt, tanto magis si annosiora fuerint animalia; hinc HIPPOCRATES l.c. ipfis tribuit qualitatem alvum indurantem, GALENUS de ren. aff. c. 26. de bon. & vit. succ. c. 8. de alim. fac. L. 3. c. 2. ORIBASIUS L. 2. collect. 28. AETIUS tetrab. 1. serm. 2. c. 121. PAULUS L. 1. c. 84. testantur, talem carnem crassam & ad sanguinem melancholicum gignendum idoneam esse: frustra igitur PLINIUS spem facit, carnem cervinam longævitatem procurare, quia cervus longævus evadit: recte autem SEBIZIUS de alim. fac. Lib. 3. c. 4. p. 660. excipit: quasi vero unius animalis vivacitas transerit in alterum. Id vero sedulæ observationi inclaret, victimum talium sylvestrium & indomitorum animalium variis mutationibus in cœconomia vitali ansam præbere, quæ pariter in sanguinem redundant & satis scœpe animalium in consensum trahunt: quid quod dum nobilium diæta communiter non simplex, vilis & tenuis, sed varia, miscella, aulica & diversa qualitate consistentiae, saporis, odoris & contentorum est, ita huc quadrat, quod PAULLINI Cent. 1. obs. 85. p. 108. urget, memorabili elem-
cho contra ciborum varietatem & diætam luxuriosam:
*si in unam eandemque ollam simul conjiciam bubulam, suilam, aguinam, vitulinam, cervinamque cornem, lucios, caneros, buryrum, caseum, poma, vinum, cerevisiam dicens: venite vos studiosi culinae, videte & gustate, quam suavia haec sint miscellanea, quam delicata fercula! quid vos ad haec? alter, credo, spueret in me, alter pelvum posceret, omnesque crucem mihi figerent. Talis latrina ventriculus simpli-**

simplicitatis nescius. Vab! quam bella animalcula noscuntur ex ingluvie. Vade modo in aulas Principum & videbis integrum nosocomium, cachecticis, hydropticis, arthriticis, nephriticis & ejusmodi tumuli Candidoris repletum, ob solam intemperantiam & simplicitatis fastidium &c. Qualis igitur sanguis ex ejusmodi diaeta promittendus & expectandus erit, talis etiam erit sanitas mentis atque corporis.

§. VIII.

Nobilis itaque sanguis nobilem etiam mentem quādantenus promovens, postulat & supponit temperatam diætam, quæ ventriculum non aggravat, digestionem sublevat, functiones se & excretorias facilitat, vires roborat & conservat, corpus purum reddit, humores in convenienti temperie & fluiditate, solidas partes in congrua permeabilitate & flexilitate, motus singulos in adæquato ordine continet atque ita sanitatem corporis promovet & fulcit; hinc etiam animus in decenti temperatura, moderatione & continentia persistit, adeoque *mens sana in corpore sana* permanet: id quod toties & disertius DN. D. PRÆSES in dissert, hujus argumenti explicavit & probavit: mirum igitur esse haud potest & *debet*, si nonnulla subiecta turbulentio, inquieto, impatienti, impioso, imperioso &c. animo prædicta sunt, si non solum intemperata, luxuriosa & confusa diæta fruuntur, sed etiam sanguinem inde intemperatum, modo acrem & volatilem, modo viscidum, crassum, terrestrem & impurum colligunt; hinc inordinati hujus motus oriuntur: nunc orgastica ebullitione, alibi tarda & impedita progressionē, modo suspecta stagnatione & accumulatione,

D 2

iterum

terum molesta congestione &c. afficitur: ob id organa & viæ modo irritantur & offenduntur, modo nimium implentur, distenduntur & onerantur, per consensionem vires alterantur, sensatio & aestimatio moleste afficitur, animus propterea turbatur, angitur aut ad aliam mutationem & plane confusione allicitur. Sanguis præterea & mixtione & consistentia temperatus communiter temperatum & ordinatum motum tam sanguinis ipsius, quam reliquarum partium solidarum & functionum comprehendit; inde etiam ut plurimum animus tranquillus, quietus, placidus & moderatus existit, quæ qualitates generales deinceps mores nobiles, generosos, virtuosos, judiciosos & præstantes una causantur. Qui-cunque porro aliqualem animi sui moderationem, correctionem, emendationem & quietationem optant & admittunt, illi præter *moralia* subsidia, etiam *physica* & *materialia* adminicula usurpent: ex hisce imprimis conducunt talia, quæ bonam sanguinis qualitatem procurant: Sic animus audax, furiosus, præceps, impatiens, immoderatus, imperiosus temperari & leniri potest diæta tenui, vietu leniente, diluente, non valde pingui, nec liberali nec valde aromatisato, sed modice acidulato, nec potu generoso aut spirituoso, rectius aquoso, vitando omnia sanguinem valde impellentia aut calefacentia, feligendo potius talia alimenta & potulenta, quæ sanguinis motum in temperaturo gradu & successu conservant, quæ seri orgastici excretionem per diaphoresin & diuresin modice & constanter promovent, ejusque sanguinis temperaram mixtionem & adæquatam consistentiam producere adjuvant: nam calefacentia ingesta cum animo flagrante non convenient:

Ita

Ita etiam animus tristis, abjectus, tardus, fessus, durus, tor-
vus diæta generosa, spirituosa, aromatica &c. corrigi &
excitari potest, inde enim sanguis fluidus, mobilis, princi-
piis subtilibus, pinguibus oleosis, sulphureis, salinis, aquo-
fis largius permixtus oritur, qui sua mobilitate animum
agilem, propensum, attentum, laboriosum, expeditum al-
licit, qui etiam suis principiis sulphureo-salinis fibras mo-
trices & partes corporis sensibiles ad motus intenses
& solertiores vellicat. Quicunque ob sanguinem lar-
giter biliosum in affectum iracundum præcipites sunt, illi
seligant diætam, quæ accrementum bilis intercipit & præ-
sentem ejus copiam minuit atque corrigit. Quicunque
ob sanguinem spissius pingue, crassum, viscidum, frigi-
dum animum morosum, suspicacem, tenacem, timidum,
mœustum, hominum consortia fugientem, solitudinem
quærentem &c. habent, illi talem adhibeant & continent
diætam, quæ intemperatas hasce sanguinis qualitates, cor-
rigit & fluidum, mobilem &c. sanguinem causatur. Et
ita cum reliquis sanguinis qualitatibus adversis, animi ata-
xiā & perturbationem provocantibus, procedendum e-
rit: hocque modo non solum sanguis, sed etiam animus
vere nobilis, generosus, gloriosus, virtuosus erit. Hæc
sunt quæ præfenti Specimine de Sanguine nobili differe-
re placuit. Quod superest Deo optimo actionum nostra-
rum moderatori humillimas dicimus gratias, quod præ-
sentem opellam felici successu coronare voluerit, quem
devotissimis precibus rogamus, ut reliquis nostris cona-
tibus prosperos progressus & salutarem largia-
tur decursum atque

F I N E M.

D 3

CLA-

CLARISSIMO
DOMINO MAGISTRO,
MEDICINÆ CANDIDATO
DIGNISSIMO

Εὐλογίαν καὶ Μακαρίστητα

apprecatur

P R A E S.

Dum Inaugurale Specimen edere & defendere institui-
sti & a me comitatum boni voti petiissi, ita argumen-
tum tractationis TUAE in memoriam mihi revocavit effa-
tum BARTHOLINI *in disp. de Sanguinis abusu* init. præf. Se-
culum quod terimus sanguinolentum est, & orbis melioris
partes cruore madent. O! infelicia tempora! Transiit
quoque sanguinis amor ad Cathedras, placatas Musas, pur-
purae bac illustres. Sic heroico & violento, modo in cam-
pis & præliis militaribus Sanguis nobilium & ignobilium
sine discrimine profunditur, in foro etiam medico & arti-
ficiose utrorumque sanguis subtrahitur; licet saepe in
hoc posteriori campo sanguinolentus animus dominetur
& varii apud nobiles & ignobiles sanguisorbæ & nativæ
purpuræ crudeles prodigi & profusores evadant: vicis-
sim BARTHOLINUS *l. c. f. i.* testatur, quod olim ap. Septen-
trionales rarus fuerit *V*Snis usus: *majores enim abstinen-
tia, exercitio, frictionibus ac sudoribus recte copiam sanguini-
nis imminuerunt: inediā in primis pleboræ opposuerunt
medica*

medici &c. Vario igitur respectu Sanguis in Medicina objectum specialis considerationis constituit: sic ex Sanguinis inspectione judicium de sanitate hominis formatur; unde passim multa prognostica ex Sanguine a medicis proferuntur, quamvis HELMONTIUS de febb. c. 2. *Maur. HOFFMANNUS in prudentia medica ex Sanguine*, SORBAIT in Medic. Pract. tr. 5. c. 3. FERNELIUS de emissi sangu. judicio. BOHNIUS in offic. Medic. dupl. P. 1. c. 7. p. 155. sq. LENTILIUS Eteodr. p. 120 aliisque fallaciam Hæmatoscopiae con- & profitantur. Quod vero Sanguis cum sanitate mentis consentiat, antiquiores æque ac recentiores medici observarunt: HIPPOCRATES jam suo tempore testatus fuit, quod *sanguis maximam partem ad prudentiam conferat*. Sic etiam elegans & memorabile argumentum est, quando nexus animæ & sanguinis condigne inquiritur & indicatur, dum anima in sanguinem efficacissime & sapissime operatur, hic vero iterum cum anima eximium habet commercium: Quare in S. Codice Sanguis, vita, & anima prout accipiuntur subiecto, ut & sanguini per Prosopopœiam affectiones animæ adscribuntur Gen. IV. & Apoc. VI. conf. HUNDSHAGEN disput. de stillicid. sangu. in cadav. de qua consideratione contra jejunas & confusas mechanicarum nonnullarum fictionum, assimilationum & imaginationum mixturas & applicationes multis locis a me actum fuit. Ideo etiam in nulla corporis parte magis, quam in facie, quæ speculum mentis est, Sanguis elucet. Hujus observationis dignissimæ CANDIDATE CLARISSIME memor, placuit TIBI pro themate tuæ dissertationis Inauguralis feligere disquisitionem *Sanguinis nobilis*; quoniam Medici frequenter hujus purpuræ generosam, spirituosam & nobilem qualitatem depraedicare solent, proinde etiam

eriam gens nobilis sanguinis nobilitate, morali & physico
respectu, splendescit. Hoc autem Specimine tu quoque
nobilitatem, maturitatem & dignitatem capacitatis tuæ
in Scientiis Philosophicis & Medicis comprobas, dum per
multos annos tam in Fridericana Musarum sede, quam
in aliis inclytis Lyceis egregia assiduitate Studiorum cul-
turam prosecutus es, ut & in arte medica practico usu fe-
lices & exoptatos progressus fecisti, ita ut longe ante Pri-
vilegia academica Doctoralia petere & pro merito acqui-
rere potueris, siquidem elegante in thesaurum optimarum
Scientiarum collegisti, eundemque honesta ac modesta
vitæ integritate ornasti; quare hoc cimelium honorum
academicorum tibi, exacte merito Medico, conferuntur.
Fruere igitur hoc ornamento feliciter! de quo tibi, au-
ditori olim meo probo & assiduo, plurimum gratulor:
est mihi denique in optatis, ut fons benedictionis hone-
stos tuos futuros labores, ac præsentes honores largo
prosperitatis ac felicitatis apparatu coronet tuumque in
me propensum ac faventem animum conservet atque
confirmet, qualem vicissim tibi spondeo & offero.

Vale. Dab. XII, Calend. Junii A.R.S. cīc lccc xlv.



01 A 6507


f



TA-706

nur 10. Seite bis vor verknüpft

VDK





DISSE^TRATI^O INAUGURALIS MEDICA,
DE
SANGUINE NOBILI,
Vom
Adelichen Geblüt,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Autoritate Gratiosae Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R A E S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONCILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULT. MEDICÆ SENIORE
DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LOCOQUE CONSETVIS
ANNO MDCCXLIV. D. MAJ^I
Publicè ac placide Eruditorum ventilationi subjiciet
RESPONDENS
M. CAROL. FRANC. VINCENTIUS LANDANY,
H U N G A R U S.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.